

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali**

**Hufeland, Gottlieb**

**Jenae, 1799**

**VD18 12256064**

§. 12.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-8845**

circa jura, quae jam existunt, conservanda. Ubi ergo nullum jus, quod conserves, adest, vel ubi lex cogens, et quae voluntate privatorum mutari nequeat, obstet; nec protestationi ulla tribuenda est vis et auctoritas.

## §. 11.

Obstare huic assertioni quodammodo videtur, quod secundum sententiam vulgarem jura quaedam et remedia non nisi post protestationem cambialem factam existere censemur. Quod quamquam verissimum est, nec ulli dubitationi expositum, haec tamen ipsa remedia protestatione non dignuntur, sed solummodo conservantur. Non enim negligendum est, jura illa, ad quae conservanda protestatio cambialis dirigitur, non nisi facta conditionalia esse, ipsamque illam conditionem in incerto casu et fortuito ponit. Oriuntur ergo jura prius ex factis istis, et protestatione tantum conservantur; attamen ea ipsa protestatio, ut valida sit et effectus suos producat, factorum istorum mentionem atque testimonium de iisdem contineat necesse est.

## §. 12.

Accedit, quod ipsi protestanti quidam sint actus suscipiendi, iidemque certo tempore peragendi. Quos nisi vel tempore praescripto vel justo ritu exsequatur, culpae suae id tribuat, culpam hanc ipse sentiat, nec jura inde pendentia, uti alias, nanciscitur. Quanquam igitur in genere a factis alienis proxime profiscantur jura per protestationem conservanda, tamen ut ista facta vim suam exferant, actiones propriae sedulo et accurate peragen-



ragendae sunt; id quod rite factum esse ex eadem protestatione cambiali clarum esse debet. \*)

## §. 13.

## b) Quoad formam.

Ex omnibus hucusque expositis patet existentia et qualitate plurium factorum, quippe primo actionum a protestante peragendarum, secundo factorum alienorum easdem subsequentium, tertio ipsius protestationis, quae quidem semper facti est, ad protestationem cambialem ejusdemque effectus juridicos opus esse. Omnia haec in jure et judicio probanda sunt; absque probatione enim factorum apud judicem et magistratum nec fides esse potest nec respectus. Cum vero ista res in processu cambiali argumentis sit firmando; ea solummodo argumenta admittenda sunt, quae, ut supra dixi, probationem in continenti liquidam eamque plenam praebeant. Liquide vero in continenti non probant testes, qui et ob eandem rationem ab omni processu cambiali arcentur. De jamento dubitatur. Ocularis inspectio in factis praeteritis vix quidquam efficere potest. Propria confessio, ejus scilicet a quo petitur, hic cum de factis tertii disceptatur, non est efflagitanda. Restant solummodo ex omnibus probandi mediis instrumenta; sed privata, nisi recognita sint, et confessionem propriam contineant, quae vero secundum superius alata hujus non est loci, vel nullam probandi vim vel saltim minus plenam habent. Nil ergo su-

\*) Cum vero interdum hic factum proprium occasionem proxime non praebat protestationi cambiali; tale factum proprium non ad omnem protestationem requiri in aperto est, quod contra **Eru, Frid. SCHRÖTERVM** diss. de protestationibus (Ien, 1657) pol. 2, monendum necessarium duxi.

